

APOSTASIA ADAMI

*sive*

DISPUTATIO

*De*

PECCATO PRO-  
TOPLASTORUM PRI-  
MO E GENUINA SEDE

*Gen. 3. v. 1. - 8. conscripta*

ET

D. O. M. A.

*Authoritate & Consensu*

Venerandæ & Includæ Facultatis Theologicæ

SUB PRÆSIDIO

*Admodum Reverendi, Excellentissimi ac Clarissimi Viri*

Dn. JOHANNIS GERHARDI  
S.S. THEOL. DOCT. AC PROFESSORIS P.  
celeberrimi

*Præceptoris, Fautoris ac Promotoris sui observanter  
colendi.*

Pro Licentiâ Doctoratûs in Theologiâ impetrandâ in floren-  
tissimâ Academia JENENSI

D. XIX. Novemb.

Horis matutinis & pomeridianis.

*in atrio Theologico*

ad disputandum publicè proposita

M. CHRISTOPHORO SCHULTETO Stargardiâ-  
Pomerano, Facultat. Philosoph. Adjuncto & Ecclesiæ Steti-  
nensis Jacobinæ Pastore designato.

JENÆ Typi STEINMANNIANIS A.C. 1624.



Inv. 166 ~~295~~ 583

*Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis, & Prudentissimis*

**Dnn. CONSULIBUS, SYNDICO, CAME-**  
**RARIIS, SENATORIBUS ET SECRETARIO VE-**  
 teris inclutæ Reip. STETINENSIS dignissimis,

U-ET

*Excellentissimis, Spectatissimis & Prudentissimis*

**Dnn. PROVVISORIBUS Ecclesiarum Stetinensium**  
 vigilantissimis,

*Patronis & Promotoribus suis submisè ac devotè colendis*

Salutem à salutis autore P.

**T**Rita jam apud literatos via est, vel in favoris deputatione vel in grati animi re-  
 muneris sui patroni ad aram Mnemosynes labores & fetus ingenii sui consecrare. Utraque  
 causa Vobis, Patres honoratissimi, hoc quicquid est offerendum suasit. Cujus enim benevolentia  
 magis optarem quam Vestram. Infrunita enim mentis indiciam Hierocles olim dicebat, illo-  
 rum favorem aucupari, quorum amorem nullam natura philtrum nobis commendaret, atq; eos  
 interea, in quorum sinum benefola nos coniecit natura, tanquam ultra Herculis columnas sis-  
 sos oculis pressis insalutatos praterire. Quemadmodum enim arcem quandam contra insidi-  
 os hostium inditam non facile extruxeris, nisi sibi vidum detur fundamentum: ita non facile  
 quenquam firmam quis sibi conjunget copulam, nisi naturalis quidam subsit nexus. Talem autem  
 esse patrii soli communionem, sapientibus persuasum est. Quamvis enim quandoq; malitia ac-  
 cidat bonis, ut hac, quæ amoris debebat esse vinculum, cedat in invidia pabulum: tamen  
 in bene constituta Rebus, aliter sit; hæc enim suis alumna & esse & bene esse largiri amat.  
 Hæc in parte de patria mea. & præcipue de Vestra Republ. summo jure ego quoq; gloriari pos-  
 sum. Nam ut taceam, quod ex eâ genus maternum ducam, ibidemq; à teneris ungviculu edu-  
 catus sum: quanti illud estimandum, quod non tantum ante aliquot menses, me dum Ste-  
 tini commorarer, singulari favore sitis amplexi: sed etiam nuperrimè cum arduo illi officio  
 Pastoralis Jacobini successor quæreretur, electione unanimes factus, Reverendissimo,  
 Illustrissimo ac Celsissimo Principi ac Domino, On. BŒGISLAVO XII. Duci Stetini,  
 Pomeranorum &c. Domino meo Clementissimo me nibil tale sperantem commendastis ac do-  
 nominastis. Quod beneficium nullâ aliâ re, quam agnoscendo & predicando redhostire queo.  
 Interim tamen beneficium est non referre, agnoscere tamen & estimare nobi. In cuius rei  
 specimen & tesseram Vobis tenuem hunc meum laborem consecro, hæc, veluti Sponsoria tas  
 bella ad perpetuam gratitudinem & officia quebit, pro re, pro copia, pro viribus præstando  
 me obstringo. Hoc quaecumq; sit, sereno vultu accipite, meq; insiruum vestrum clientem for-  
 vite & ne fructus vester Vobis pereat, ut fructum ferre & ad maturitatem perducere possim,  
 solem perpetua vestra benevolentia præstate. Quod superest, ad preces & vota confugio.  
 Deumq; supplex precor, ut florentissimam Rempubl. vestram ab omni malo fartam tectamq;  
 conservet. Dabam Jena. 3. Idus Novembr. Anno cldo 10. XXIV.

V. Amplit.

*observantissimus*

M. Christophorus Schultetus A. & R.

## THESIS I.



**V**Ox illa Filii Dei Apoc. 2, 4. *Memento unde exideris*, in nobis quoque merito excitare deberet tūm amissorum bonorum recordationem, tūm peccati, per quod ea amissimus, cognitionem: Illorum quò major excellentia, tantò minus eorum nobis obvia notitia; quomodo enim mentem non fugiat illius cognitio, cujus jam dudum periit possessio! Hujus verò quò facilior perpetratio, eò difficilior cognitio; quò cumulatior miseria, eò magis ejus deploranda ignorantia; quò major foeditas, eò strictior ejus cognoscendæ necessitas; quò plus perpetratum dedit nocumenti & calamitatis, eò plus cognitum præstabit documenti & utilitatis. Ut hīc quoq; usurpare possis illud *Seneca: Initium salutis est notitia peccati. Ep. 28.* Ejus enim satis cognitum periculum, quærere compellit Medicum; Et *sicut nemo mollitis venenis abstinnerit, nisi qui eorum perniciem præsciverit: Ita nemo peccatum odio habebit, nisi cui ejus turpitudine perspecta fuerit.* quæ similitudo est *Thriver. in Apoph. 19.*

II. Ea verò evidentissimè apparet in radice, Lapsum intelligo Adami, qui omnibus modis per illum factus est miser, sive malum culpæ, quod fecit volens, sive malum pœnæ, quod patitur nolens, species. Malum culpæ est ipsum, de quo agimus, peccatum, quod vulgò duplex constituitur, Originale & Actuale. Illud infelix parens, hoc misera proles; illud venenatum semen, hoc pestilens fructus; Illud impurus fons, hoc foetidus rivulus.

III. Originale illud peccatum Scholastici (quamvis barbarè) distinguunt in *Originans*, quod originem dat rei: & *originatum*,

*ginatum*, quod aliunde originē trahit: *Ibi* vocem illam activē, *hic* passivē accipiunt: *Illud* malum actum, *hoc* malum habitum notat; *Illud* primum, *hoc* ex primo ortum; *Illud* personale, quo persona corrumpit naturam, *hoc* naturale, quo natura corrumpit personam, dici possit.

4. Primi illius peccati cognitio ex Capite 3. Geneseos, utpote genuina ejus doctrinæ (ut apud omnes in confesso est) fede cōmodissime peti potest. De hujus igitur primis 7. versiculis, in quibus tristissimus ille lapsus describitur, jussu Superiorum acturi, hanc nobis præscribimus Methodum, ut 1. *Oeconomiam* textus. 2. genuinum & literalem ejus sensum. 3. *Quæstiones* è textu resultantes. 4. *Doctrinas* ex ipsius textus visceribus petendas tradamus.

## MEMBRUM I.

### Analyfis.

5. Partes hujus capituli tres sunt, in 1. describitur παράβασις seu Transgressio à v. 1. usq. ad 7. in 2. κρίσις seu dijudicatio à v. 8. ad 19. in 3. τελεσίωσις seu ipsa executio. Quem dichotomiam delectant, potest partes duas constituere, in quarum 1. describitur peccatum, in 2. judicium, quod habet tum causæ cognitionem à v. 8. usq. ad 13. tum sententiam decisoriam à v. 14. ad 19. & sententiæ latæ executionem à v. 20. usq. ad finem.

6. Prima pars (de quâ hic nobis agendum) ostendit I. ipsam tentationem. II. Tentationis assensum. III. Eventum. *Tentationis* ostenditur 1. Causa instrumentalis, Serpens, qui describitur ab adjuncta calliditate. 2. seductionis modus, qui describitur διαλογισμῶς. Ubi primò Serpentis propositio in forma quæstionis proposita, quæ habet confutationem argumento desumpto ab impossibili; ubi committit paralogismum generis, dum à negatione certæ speciei ad genus ipsum negandum procedit. v. 1. Deinde proponitur mulieris responsio, quæ majorem negat v. 2. & edictum divinum repetit v. 3. Tandem attendenda Diaboli exceptio, quæ habet tum propositionem, quæ directè comminationi divinæ contradicit v. 4. tum ejusdem confirmationem (ubi paralogismum causæ committit) dum

dum falsam prohibitionis causam assignat) & simul prohibiti fructus comestionem suadet argumento desumpto ab effectu triplici v. 5. II. Membrum ostendit assensum i. mulieris, cujus gradus ostenduntur v. 6. 2. viri, qui brevissimè à causa instigante mulierè, & Effectu, actu videlicet completo comestionis describitur. III. Eventus ostendit effectum lapsus, ipsam corruptionem, ubi i. mala conscientia, quæ metaphoricè per apertionem oculorum, & nuditatem probrosam, quæ ostendit spoliationem, notatur, 2. ejus regendæ studium v. 7. proponitur.

## MEMBRUM II.

Εξήγησις textus.

7. v. 1. Sed & Ierpens] Serpens Ebr. שׂוֹפֵר à rad' שׂוֹפֵר scrutatus est, investigavit & exploravit, propter prudentiam & solertiam, propter quam hîc quoque dicitur שׂוֹפֵר quod *Corn. à Lapide in Pentat. p. 44.* verti posse putat: Serpens erat in multas spiras & gyros complicatus & involutus, adeò ut hæ spiræ sint indices internæ serpentis versutia, qua hominem circumvenit: Verbum enim שׂוֹפֵר etiam significare, in multas spiras se contorsit: Sed nusquam שׂוֹפֵר hanc significationem admittit, longè enim diversa est illa, qua pro accumulare usurpatur. Ut taceam, quod nihil nos cogat à genuinâ hujus verbi significatione discedere: imò eâ explicatione admissâ inepta esset comparatio cum reliquis animalibus in hoc tertio, nec directè ad rem ipsam faceret.

8. Caterum nomen שׂוֹפֵר Aquila quidem & Theodotion hîc reddiderunt *παρασπύρι* i. e. nequam & versipellem, ut testatur *Hier. in quest. in Gen.* ut hîc respiciatur Diaboli instinctus & versutia. *Flac. quoq; p. 1. Cl. S. Scripturæ p. 98.* in malam partem accipit. Sed quoniam שׂוֹפֵר sapius in bonâ partem accipitur, pro eò qui cautus est, nec se facillè decipi sinit, ideò nos cum *B. Luthero* potius de naturali ingenii sagacitate, quâ peculiari temperamenti dispositione excelluit, intelligimus. De tali enim, non verò Diabolicâ accipiendum docet tum instituta

stituta cum ceteris animantibus terræ comparatio; tum bona omnium creaturarum constitutio Gen. 1, 31. quin hæc videtur causa fuisse, cur Diabolus illo potius quàm alio animali uti elegerit. De quo quæst. 3. plura.

9. Non inelegans autem est observatio *R. Aben Esra*, quod vox ערום quæ cum Cholem etiam nudum significat, nuditati Protoplastorum, cujus in præcedenti versu mentio facta, opponatur, singulari lingvæ Ebrææ elegantia, quod aliis exemplis illustrat, his verbis: ואל תתמה בעבור היות ערום אחרי ערומים והם שני טעמים כי באלה הצחות בלשון כמו בלחי החמר חמור חמרתו וכן על שלשים עיורים ושלשים עיורים להם;

10. Cunctis animantibus terræ ] in Ebr. est בהמור animantia agri, quod quando ipsi בהמור additur, tantum feras bestias significat. Sed absolute positum generale est, tam cicurum, quàm ferum animal significans. Caterum dum Moses agrum nominat, videtur indicare velle indignitatem rei, quod serpens, cui ager assignatus, ipsum Paradisum ingredi non sit veritus, quæ est observatio *Fr. Junii in b. l. tom. 1. op. p. 65.* Sed videtur hoc coactum, eum ipsis etiam bestiis aditum in Paradisum patuisse, non sit dubitandum. Scrupulosè hîc quidam quærunt, quomodo vulpe astutissimâ bestiola sit callidior, & volunt serpentem in nocendo, vulpem verò in salute suâ tuendâ callidior esse. Sed sic in statu integritatis quoq; vim nocendi habuisset, quod videtur repugnare Gen. 1, ult. Nos, quamvis quæstionem otiosam putemus, literalem sensum sequendum, & omnibus animantibus sapientior rem fuisse dicimus, cum alibi etiam Scriptura serpentum prudentiam commendat, ut Psalm. 58, 5. & 10. Matth. 10, 16. quamvis post lapsum ipsi hac quoq; in parte quædam decessisse non negemus.

11. Quæ fecerat Dominus Deus ] in Ebr. relativum רצון cum sit utriusq; generis & numeri, dubiam reddat sententiam, ut possit referri tum ad animantia, tum ad agrum  
deu

feu terram. Sed priorem sensum præferendum contextus ostendit, quem etiam omnes Interpretes secuti sunt.

12. *v. 2.* Qui dixit ad mulierem, cur præcepit vobis Deus ] In Ebr. est **אָרְיָא** quod vulgata reddit *cur* q. d. non apparet justa ratio: sic etiam LXX. *ὅτι* quare. Sed Ebr. videtur esse non causam inquirentis, sed de re ipsa dubitantis, unde Pagninus reddit *etiamne*, sic etiam Ambrosius *com. 4. Op. l. de Parad. c. 13.* legit: Quid dixit Deus? *Onk.* eodem sensu reddit **אָרְיָא** **בְּקִין שְׂתָא אָרְיָא** verumne est, quod dixit Jehova? Unde alii volunt simul esse admirantis. Ebraei quidam dicunt esse particulam affirmantis, quæ augeat & amplificet, & idem valeat, quod **מַלְמַלְמַל** id est, quanto magis. Quia autem nunquam ponitur in principio dictionis, inde colligunt, quod quædam verba præcesserint, de quibus R. David Kinchi in lib. **שְׂפָרֵי הַפְּסוּק** sic loquitur: **אָמַר לְאִשְׁהֲרָבִירִים אַחֲרָיִם וְרַמָּה שְׂאָמַר לָהּ כִּי הַמְּקוֹם שׁוֹנָה אַתְּכֶם אֶעָף שְׂאֲתֶם גְּדִלִים מִשְׂאֵר הַיּוֹצֵרִים שְׁלִי יַעֲשֶׂה לָכֶם מַעֲלָה בְּךָ זָכוֹ וְכֹל שְׂכָן שְׂאָמַר אֵלֵיכֶם אֵל תּוֹכְלוּ מִכָּל עֵץ הַגֵּן לֹא תֵּלְכוּ שְׂשֹׂנָה אַתְּכֶם.**

hoc est, *sensus istius versus est: Dixit (serpens) ad mulierem et alia verba. Et verisimile est, quod ita dixerit ad eam: Certè Deus odit vos, quamvis præstantiores sitis reliquis creaturis, eò quod non facit vobis talem vel talem aliquam dignitatem. Et quanto magis quod dixit ad vos: nò comedatis de omni ligno horti, inde cognoscitis, quod vos odio habet. &c. quod deinde ulterius explicat, & exemplo confirmat.*

13. Quamvis autem non negemus, aliqua alia verba præcessisse, tamen priò à fronte tam impudentem fuisse Satanam, non videtur verisimile. Ex diligenti autem collatione locorum, in quibus hæ particule conjunctæ reperiuntur, patet eas in collatione rerum affirmativa valere quanto magis ut Deut. 31, 27. 1. Reg. 14, 30. c. 23, 4. 2. Reg. 4, 11. c. 16, 11. Prov. 15, 11. in negativa quanto minus ut 1. Reg. 8, 27. 2. Paral. 6, 18. Job. 15, 12. Extra collationem autem esse causalem,

Salem: eò quod, ut Prov. 21, 27. Ultima significatio hinc lo-  
cum non habet. Si ergo una ex prioribus admittatur, patet  
alia quædam verba præcessisse, hæc autem quasi conclusionem  
& scopum colloqui continere, quomodo Scriptura frequenter  
loquitur Jos. 2, 24. Matth. 3, 2. c. 4, 17. &c. Quæ autem præ-  
cesserint, tacente Scripturâ nescimus. Si conjecturis locus esset  
dici possit talis collatio instituta: si tam pulchram & egregiam  
arborem prohibuit Deus, quanto magis omnem etiam  
arborem; vel sic: si Deus vobis tot ac tanta dona concessit,  
quanto minus fructum cujusvis etiam arboris denegaret?

14. Notetur autem hinc duplex Diaboli astus. Primus con-  
sistit in eo, quod non ipsum Adamum, sed mulierem, quæ mi-  
nori scientiâ prædita, & tanquam vas imbecillius 2. Petr. 3, 7.  
citius moveri poterat, aggreditur. Secundus in eo, quod se-  
dignitatis & commodorum ejus studiosum fingit. Tertius  
quod ad dubitationem injiciendam singulari utitur stratage-  
mate Oratorio, sive affirmativè concludat, sive dubitativè in-  
terroget. Sicut enim in affirmationibus vel negationibus ve-  
hementius affirmatur & negatur interrogatione; ita etiam in  
dubitationibus & communicationibus maximas vires habet  
interrogatio, ad insinuandam dubitationem.

15. Ut non comederetis ex omni ligno  
paradisi ] Ebr. *horti hujus* ut etiam in seq. ubi semper  
Vulg. habet paradisum ex vers. LXX. ¶ Ebræis tam lignum,  
quàm arborem significare notum est. Quartus hinc occurrit Dia-  
boli astus, dum ambiguitate ludit. Si enim particula non  
referatur ad nomen omnis, phrasi Ebræâ universè negat;  
hoc sensu, an de nulla arbore comedere vobis cōcessum? si verò  
referatur ad verbum *edetis*, tum habet sensum: An non de om-  
nibus arboribus editis?

16. v. 3. Cui respondit mulier: De fructu  
lignorum, quæ sunt in paradiso vescimur ]  
Egrege Eva hinc evolvit ambiguitatem in Diaboli argumento  
laten-



latentem, & simul ostendit, nullā de divinā gratiā conquerendi causam se habere, cum abundē satis de omnibus sibi prospexerit. Quod autem dicit *vescimus*, in Ebr. est futurum, *edemus*, quod habet significationem potentialem, q. d. edere possumus.

17. De fructu verò ligni, quod est in medio paradisi ] Copulativa  $\text{ו}$  quæ in Hebræo est, rectè hic adversativè redditur. Quod autem dicitur *in medio* Ebr. est  $\text{בְּתוֹכָם}$  unde quidam colligunt duas illas arbores (scientiæ boni & mali, & arborem vitæ.) præcisè in medio Paradisi, tanquam in centro sitas fuisse. Sanè quia res in medio melius custoditur; cum quasi muro quodam circumdata sit, & Eva tali utatur descriptione, quæ peculiariter unam hanc arborem designet, non repugnamus, quo minus hæc arbor si non præcisè in centro, tamen circa medium horti sita fuerit. Ex hac tamen phrasi illud colligi nequit, cum  $\text{בְּתוֹכָם}$  sæpè simpliciter in vel inter significet, ut Gen. 1, 6. Exod. 14, 23. in medio maris; &c. cui similis phrasis  $\text{בְּתוֹכָם}$  in corde marium Jon. 2, 4. in corde cosli Deut. 4, 11. in corde quercus 1. Sam. 18, 14. sic etiam in N. T. *ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς ἡγίας* Matth. 12, 40.

18. Præcepit nobis Deus, ne comedemus, & ne tangeremus illud ] In Ebr. est  $\text{אָמַר}$  dixit Dominus, *ne comedatis ex eo, nec attingatis illud*. Verbum *dixit* autem sæpè habet significationem interdicendi Esth. 1, 19, 11. 1. Paral. 20, 17. 1. Reg. 11, 18. Jon. 2, 11. quæ significatio huic verbo apud Arabes ferè perpetua. In N. T. etiam occurrit Matth. 4, 3. c. 16, 12. Marc. 5 ult. Notant Interpretes Evam hic peccare in additione, dum addit quod non erat prohibitum. *Lyra* dicit, eam divini præcepti iniquitatem & difficultatem hoc ipso insinuare voluisse. Ebræi quoq; dicunt Satanam hinc aliam fraudem excogitasse, ut impulerit eam primum ad tangendam arborem, cumq; ipsi hinc nihil mali accederet, dubitationem de veritate verbi divini injecisse, & ad esum quoq; sollicitasse. Sed hoc *ἀπὸ γράφης*.

19. Sunt tamen alii, qui Evam hac in re excusare nituntur.

I. *Ambros. l. de Parad. c. 12. tom. 4. oper. p. 107.* existimat, viro tantum præceptum à Deo datum, qui illud mulieri referendo, ut eam cautiozem faceret, hæc de suo addiderit. Sed sic ipse Adàm in integritate peccasset, addendo aliquid mandato divino contra Deut. 4. ult. II. Alii dicunt esse tantum, *ἐγγύησιν*, ut ad os referatur, & sic usurpetur pro paululù gustare: ita accipitur verbum *ἄπται* Coloss. 2, 21. Hæc est sententia *Fr. Junij in præl. An. in Pentat. tom. 1. op. pag. 67.* Sed verbo *ἄπται* hoc non convenit: *ἄπται* autem est generale, & propriè significat tangere, metaphoricè gustare, & tunc præmitti solet *τῶ* comedere, non postponi: Comedere enim est specialius. III. *Marc. in comm. in Gen. p. 74.* explicationis gratiâ adjectum putat, ita ut hoc ipsum divino præcepto inclusum fuerit, utpote quo etiã occasionès & gradus ad peccatum fuissent prohibiti. Hæc sententia nihil habet absurdi, naturæ præceptorum divinorum optimè convenit, & egregiam subministrat doctrinam. Chæd. quoq; eo sensu adhuc latius extendit, dum vertit: Non *ἄπται* accedatis ad eam. Si quis tamen malit, Evam in eo peccasse, non rigidè repugnamus, & tum dicendum, eam hoc tempore non fuisse absolutè in statu integritatis, sed jam modò peccati semen internè in Eva conceptum fuisse, quamvis externè per gradus se manifestarit.

20. Ne fortè moriamini ] Ebr. *יָדַע* modo est dubitativum, modo affirmativum, ita tamen ut innuat dubium de futuro eventum, cum is pendet ex futurâ aliquâ actione liberâ, quâ tamen impletâ indubitato ille sequitur, ut Matth. 11, 23. Hinc aliqui Interpretes affirmativè explicant, ut congruat cum præcepto divino; alii dubitativè, vel quod satis habuerit comminationem Dei leviter perstringere, utpote quæ ad propositam quæstionem directè non faceret, ut vult *Jun. l. d.* vel quod de veritate ejus dubitare inciperet, quæ est sententia *B. Lutheri in Gen. p. 64. Gesneri in Gen. p. 78. Rev. pl. Excellent. ac Clar. Dn. D. Gerhardi*, Præceptoris optimè meriti, & singulariter mihi honorandî *tom. 2. Loc. de pecc. orig. §. 12. & Doctorum nostrorum communis*, quæ etiã verior, quia I. particulæ *יָדַע*

significatio propria & nativa, quæ sine evidenti causa non mutanda, est dubitativa. 2. licet dicatur esse affirmativa, tamen facta est ab Eva mutatio, quæ dubitationem arguit, nam mandatum divinum habet severissimam comminationem: Quacumq; die comederis ex ea **וְיָמוּת** moriendo morieris, id est, certissimè morieris: cujus vim **אֵסֵף** sequitur hæc Evæ relatio, quamvis affirmativè eam accipias. 3. ex Diaboli instantia patet dubitationem præcessisse. 4. consentit Chald. qui vertit **וְיָמוּת**

21. v. 4. Dixit autem Serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini ] Hic demum Diabolus, qui hætenus rem per cuniculos egerat, aperte prorumpit, & comminationi divinæ directè contradicit. Sicut enim infinitum cum suo verbo constructum apud Ebræos evidentissimè & certissimè affirmat: ita etiam si negativa addatur, fortissimè negat. Huic receptæ sententiæ aliqui se opponunt, ut *Piscator, Tremellius & Junius in h. l. Martinus & Bremens. in Gram. Ebr. Jun. l. 3. Gram. c. 3. p. 110.* voluntq; in tali constructione negativam propositam ut in l. negationem facere incertam & dubiam, aut (quæ sunt verba *Jun. in expl. anal. Pent. p. 69.*) ex parte negare, aut quodammodo, aut contingenter, ita ut hoc in loco Diabolus contingenti affirmationi contingentem opponat negationem. Uode talem hujus loci paraphrasin proponunt: Rectè dicis, ne fortè moriamini. Sed forte etiam non est vobis mors obventura, omne enim fortasse, ut vulgo dicitur, solvitur per fortasse. Et sic sanè, vos quodammodo morituros, illa mors tamen non erit vera, sed tantùm mutatio quædam qualitatum, & quidem in melius. Sed hæc novitas argumentis evidentibus, quibus assensum mereatur, destituitur. Quin potius pro veteri sententia non leves militant rationes. Nam ut nihil dicam de *B. Lutheri* & aliorum autoritate, ut & de Ebræorum silentio, quos hac de re nihil quicquam annotasse testis locuples est *Buxt. in Ihes. Gram. p. 599. (edit. 3.)* repugnant 1. exempla. Vide modò *Psal. 49, 8.* 2. natura particulæ negativæ, quæ nihil infert propositioni,

quàm simplicem negationem, unde ejus transpositio sententiam mutare non potest. Emphasis enim ex solâ geminatione verbi oritur. Geminatio enim literæ, Syllabæ, dictionis, orationis, apud Ebræos auget significationem.

22. *v. 5.* Novitenim Deus] Pergit Diabolus, & in tribus verbis summâ cum blasphemiâ Deum duorum criminum reum agit: 1. mendacii, quasi aliter interdixerit, quàm sciverit. 2. invidiæ, quàm hujus interdicti causam foisse præfert. Unde etiam utitur vocabulo אלהים quod ad severitatem & judicium Dei refertur. Quamvis *R. D. Kimchi* existimet propterea factum, quod nesciverit nomen Tetragammatõe לח הזכיר הנמש השם הנכבד והנורא כי לא ידעו sed opponimus illi Targum Chald. quod habet: ארי גלי קדם יי quoniam manifestum est coram Jehovah. Sed hîc etiam attendenda quinta fraus Diaboli; ita enim attemperat orationem, ut nescias an in laudem, an verò in vituperium Dei hæc proferat. Unde hodiè quoq; Interpretum sententiæ variant. Alii enim putant ipsum his verbis provocasse ad scientiam Dei, eamq; testem invocare, quam sententiam aliis præfert *B. Lub. in Gen. p. 65.* Alii quoq; existimant, respectum haberi ad nomen arboris, quod ipsi à Deo inditam. Unde Diabolum inducunt sic argumentantem. Deus optimè novit naturam rei, cum ergò ipse indiderit huic arbori nomen scientiæ boni & mali, certè eo ipso indicavit, talem ipsi vim inesse, quæ cum sit divinum quiddam, procul dubio vos Deo æquales redditura est. Hanc sententiam sequitur *Jun. l. d.*

23. Quod in quacunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri] Noretur & hîc Sophia Satanae. In his enim verbis sextam fraudem committit. Nam dum promittit apertionem oculorum, quam singularem scientiam sibi parituram miseri illi opinabantur, Αεξος ille damnosam illam intelligit, qua felicitas exitum, miseria introitum habuit. Aperti enim sunt eorum oculi non ad recipiendam, sed ad amittendam sapientiam. Non igitur visum hîc *Eya* promittit naturalem, quasi ipsa cæca esset, sed loquitur

*mezar*

metaphoricè & comparatè q. d. hic visus naturalis nihil & quasi cœcitas est, si conferatur cum eo, quem ex usu hujus fructu consequeris.

24. Et eritis sicut Dii ] Septima jam vice labyrintho ambiguitatis se abscondit Dæmon, ad eum in ea enodanda etiamnum doctorum laborent ingenia. Vocabulum enim **אֱלֹהִים** cum maximè sit ambiguum, diversimodè vertuat. Aliqui de vero Deo accipiunt, ejus similitudinem promittat, non quidem quoad essentiam (quod nimis absurdum fuisset), sed quoad insignes aliquas qualitates, & divinas virtutes, maximè ad scientiam. Hæc est communis explicatio. Aliqui tamen ex his malunt vertere sicut Deus. Sed Procop. in Gen. p. 2. dicit: *Quia hic locus habet additum ut unus è nobis, (v. 22.) satis liquet eandem dictionem & supra in plurali numero esse enunciatam.* Quidam etiam ex his verterunt, sicut divine persons, ut Mag. sent. Ex quo Drus. in. comm. ad l. diff. Gen. c. 11. p. 11. sequi putat, rectè etiam posse dici tres Deos. Quod licet inde non sequatur, tamen priores duas versiones præferimus. R. D. Kimchi explicat **אֱלֹהִים** creatores mundi; absurdè. II. Explicatio est eorum, qui vertunt, *eritis sicut angeli.* Sic Targum. R. Salomon quoq; vertit **אֱלֹהִים** Quo etiam LXX. interpretes trahit, Drus. l. d. quia legunt *ut deus*, cum aliàs quando Deum, verum significat, semper per **אֱלֹהִים** reddiderint, quod verum esse Concordant. Ebraeo-Græc. Kircheri consulenti patebit. III. Alii sunt, qui malunt vertere, sicut iudices & principes, quorum est scire bonum & malum. Sic Onkel. **אֱלֹהִים** id est, magnates. Sed hoc nimis dilutum. IV. Alii de ipso Diabolo intelligere non dubitant, qui dicitur Deus hujus mundi. Quamvis autem tentator forsitan eò respexerit, tamen cum vox **אֱלֹהִים** de Diabolo nospiam usurpetur, nisi ex additione, vel etiam ex contextu istud pateat, in primâ explicatione utpote simplicissimâ, quam Evam quoq; secutam esse credibile est, quæque mendacissimas Satanae promissiones evidentissimè exprimit, acquiescimus.

25. Scientes bonum & malum ] Hic expli-

cat, in quo potissimum similitudo illa consistat. Notetur autem hic octava impostura. Nam dum videtur talem promittere scientiam, quæ simpliciter in mente posita sit, ut ita noscat bonum, ut bona ipsa sit; ita cognoscat malum ut à malo absit: ipse intelligit scientiam practicam & experimentalem, quæ cum participatione utriusq; conjuncta est. Talis autem in nemine esse potest, quin bono abdicato se addicat malo. Nulla enim est communicatio injustitiæ cum justitia.

26. *v. 6. Vidit igitur mulier*] Abducta Eva à verbo divino jam Diabolo assentitur, ideò aciem in arborem, à cujus contactu antea abhorrebat, pertinacissimè dirigit. Sunt quidem, qui hoc ad mentem referant, ut aliàs quoq; sæpè verba ab externis sensibus ad internas operationes metaphoricè transferuntur. Unde *R. David Kimchi* ad illud *וַיִּרְאֵהָ אֱלֹהִים* annotat *וַיִּרְאֵהָ* videt in corde. Rectius tamen de externo visu accipitur, ut gradus peccati describantur. Quò quidam allegoricè applicant illud *Jerem 9, 21. Ascendit mors per fenestras. Et concupiscentia oculorum inter opera mundi 1. Joh. 2, 16. numeratur. Si quis tamen ad utrumq; referre velit, quod oculis & mente in arborem intenta fuerit, non errabit.*

27. *Quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile*] Ex perverso isto prohibitiæ arboris intuitu jam quoq; judicium depravatur, & mens quoq; in excogitandis rationibus, quibus sibi persuadeat utrem esse esum fructus illius, ingeniosa est. *R. David Kimchi* refert hæc ad triplicia serpentis promissa, quibus Eva jam fidem adhibet. Nam illud *bonum ad vescendum* respicit illud; *Eritis sicut Dii*: Illud *pulchrum oculis* refertur eò, *aperientur oculi vestri*; *Aspectu delectabile* refertur ad *scientiam boni & mali*. Nam in Ebræo est *וַיִּרְאֵהָ אֱלֹהִים* quod rectissimè reddit *B. Lueberus*, *Daß ein lustiger Baum were / weil er klug machete.*

28. *Varablus* quidem putat rectius verti: *concupiscibilis ad contemplandum, quod sua forma & pulchritudine in sui contempla-*

templatione quasi detineret Evam. Sed tunc idem bis vel etiam quater diceretur, & repugnat verbum  $\text{לִרְשָׁתָּךְ}$  quod non oculis contemplari, sed erudire & sapientem reddere significat. Nec obstat quod verba interiorum sensuum sæpè etiam ad externos referuntur, sicut & apud Græcos verbum  $\nu\omicron\eta\sigma\alpha\iota$  &  $\kappa\alpha\tau\alpha\nu\eta\sigma\alpha\iota$ . Hoc enim in  $\text{לִרְשָׁתָּךְ}$  conj. Kal optimè procedit: non verò in Hiphil, ubi hoc verbum habet significationem intransitivam. Licet enim & ibi quoq; accipiatur quandoq; absolute, tamen nulla ratio nos cogit à propriâ significatione dupliciter discedere. Opponit quidem oculis corporeis videri non potuisse, quod arbor hæc sapientem redderet. Sed quid si regeramus, illud *Et vidit* de visu oculorum & mentis conjunctim intelligi, vel etiã quod ex externâ ejus pulchritudine, quam oculis percipiebat, cum promissionibus serpentis collatâ, hoc ipsum mentecollegerit. Illud verò, quod dicitur, *pulchrum oculis* ex Ebr. rectius *Pagn.* reddit; *desiderabilis oculis*. *Targ. Onkelos* vertit: *quod sanitas esset oculis*, id est, quod sanaret oculos. Unde quidam collegerunt, hanc arborem habuisse vim medicam sanandi oculos. Sed non intellexerunt phrasin: est enim phrasin Chaldaica, æquipollens illi Latinæ, *quod pasceret oculos*.

29. *Et tulit de fructu arboris & comedit]*

Hic victâ tentatione & concupiscentiâ planè succumbit, & in ipsum prorumpit actum. Concupiscentia enim postquam concepit, parit peccatum Jac. 1, 15. Hic jam notentur gradus peccati. Primus est incredulitas, quâ dubitat de verbo divino, inde oritur 2. quod auscultet & credat fallaciis Satanz, fructus prohibiti illecebris oculos oblectet. Hinc in animo oritur  $\epsilon\pi\iota\theta\upsilon\mu\eta\sigma\iota\varsigma$  &  $\delta\pi\epsilon\chi\epsilon\iota\varsigma$  vitiosus appetitus; ille generat  $\pi\rho\sigma\alpha\iota\rho\epsilon\sigma\iota\upsilon$ , in qua inest  $\tau\omicron\ \epsilon\kappa\epsilon\sigma\iota\omicron\upsilon$ ; præviâ enim deliberatione infert, se Diabolo obtemperare velle. Hinc emergit  $\delta\epsilon\mu\eta$ , quòd cum impetu nititur in veritum. Hæc demum  $\tau\omicron\ \kappa\iota\upsilon\eta\tau\iota\kappa\omicron\upsilon$ , & locomotivam concitat, ut manum extendendo fructum prohibitum rapiat, gulam & avidas fauces dilatet & expleat.

30. *Deditque viro suo, qui comedit]* Jam  
virum

virum quoq; Eva ad casum sollicitat, quem blanditiis & illecebris uxoris facile cecidisse credibile est, cum Moses tam paucis verbis tam gravem describat lapsum. In Ebr. legitur: Dedit etiam viro suo וַיִּתֵּן secum. Unde Ebraei colligunt Adamum tum fuisse presentem: quod si verum, incredibilis illius negligentia & socordia merito culpanda est, quod officio suo tam diu defuerit, nec mulierem, cujus caput erat, à peccato retraxerit. Sed credibilis est, ipsum tum demum, cum Eva edisset, intervenisse, v. 17. enim dicitur, *quia auscultasti voci uxoris non serpenti*. Alii referunt וַיִּתֵּן ad verbum *edit*. Et hinc colligunt Evam bis edisse, primò solam, secundò cum Adamo. Unde LXX. hinc vertunt: Et comederunt. Chald. & comedit (-sc. Adam) cum ea. Sed obstare videtur accentus distinctivus Tiphcha interjectus, quamvis Tiphcha quandoque nihil distingvat, ut Genes. 2, 17. & hoc capite v. 4. & alibi sæpius וַיִּתֵּן dicunt Ebraei. Sed quid, si וַיִּתֵּן verteretur *qui erat propè eam*. Nam relat. וַיִּתֵּן sæpissimè patitur Eclipsin, & particula וַיִּתֵּן quandoq; *propè* significat, ut Jos 7, 2. sic ostenderetur Adamum quidem non adfuisse, nec tamen longius à conjunctissima sociâ recessisse.

31. v. 7. Et aperti sunt oculi amborum ]  
 Hæc est tristissima hujus Tragediæ Catastrophe. Usurpatur autem apertio oculorù in scripturis tum de corpore, tum de mète. Corporis oculi tripliciter aperiuntur, 1. naturaliter, quâdo oculorù aciem intendimus Matth. 5, 1. 2. gratiosè, quando vel cæcis visus restituitur, ut Joh. 9, 7. vel etiam oculi eorum, qui divinitus detenti fuerunt, aperiuntur, ut insolita & stupenda videant Num. 22, 31. c. 24, 4. 2. Reg. 6, 17. Sed nullus horum modorum huc quadrat: Rifu enim digna est quorundam Ebraeorum sententia, qui hinc colligunt protoplastos prius cæcos fuisse, quos eruditè refellit *August. l. 14. de. C. D. c. 17.* Rectius ergo *R. Salomon*, qui hoc ad mentem refert. Mentis autem oculorum apertio triplex est, 1. gratiæ, quæ fit vel extraordinariè, ut Luc. 24, 45. vel ordinariè per Evangelium Act. 26, 18. 2. castigationis severæ ut, Jobo, Davidi &c. 3. Judicii seu iræ



seu ira divinæ, quando conscientia, quæ inter peccandum quasi dormitabat, evigilat, & factum ad legis divinæ normam examinat, & quomodo Deum læserit, agnoscit. Talis hæc fuit apertio. Sed quomodo tum demum agnoscunt? Eva enim cum antea comedisset, nihil agnoscit. an quia brevis intercessit mora, Eva tota occupata in suis delitiis non reflexit mentem ad suam miseriam? Non longe enim abfuisse Adamum ex versu præc. colligi potest. An verò peccatum nondum erat consummatum, donec ederet Adam? *B. Lutherus in Gen. fol. 66.* refert partim ad Dei longanimitatem, qui non statim onerat poenis delinquentes; partim etiam ad Diabolum, qui eorum oculos tenuerit, & tantâ securitate impleverit. Unde aliàs quoq; in actu peccati mens in sese non reflectitur. Has causas omnes concurrisse, non est absurdum.

32. **Cumque cognovissent se esse nudos]** non nuditate gloriæ & innocentia, quæ integritatem mentis & voluntatis, pulchritudinem corporis & omnium partium, harmoniam appetituum, & inferiorum virium cum ipsa mente, & impassibilitatem corporis adjunctam habebat: Sed nuditate turpitudinis, & miseria, quæ illi planè contraria, & totidem contrariis malis obnoxia erat. Unde Cabalistsæ Ebraeorum in nomine עוֹרִים duo notant mysteria. Nam Gen. 2, ult. dicuntur עוֹרִים sine Jod, quia illa nuditas non erat probrosa. Hic verò accedit Jod per Epitafin & auxefin, ad significandâ turpitudinem, quæ nuditati post peccatum accessit. Contra verò hic perit Jod pluralis numeri index, quod in altero exprimitur, ad indigitandâ gratiæ & favoris divini & multorum donorum amissionem. Hæc tamè nimis subtilia videri possent.

33. **Consuerunt folia ficus & fecerunt sibi perizomata]** In Hebr. est עֲרֵמָה quod propriè cingula & subligacula significat, unde apparet, inferiores tantùm partes inhonestas tectas fuisse, reliquo enim corpore nudi manserunt, v. 20. *Iren. l. 3. c. 37.* docet, ex ficu ea facta in signum pœnitentiæ, & sic eos quasi cilicium sibi aptasse. Nam folia ficus pungunt & stimulant. Sed verisimilius est, ea ele-

eta esse, vel quod lata sint, & ad eam rem apta, vel quod ficus  
proximè se obtulerit, tum cum erubescerent.

### MEMBRUM III.

#### Quæstiones.

34. Jam quæstiones, quæ vel immediatè ex textu resultant,  
vel ad intelligendâ historiâ conducunt, breviter ordine textûs  
observato subjiciemus. Quæritur ergo I. de tempore: **QUAN-**  
**do hic lapsus acciderit?** Variæ hîc, utpote in re incer-  
ta, sententiæ. Quidam volunt Adamum in recitidine suâ per-  
stitisse annos 34  $\frac{1}{2}$ . quamdiu Christus fuit in suo ministerio.  
Sed quis crederet tanto tempore benedictione divinâ cessante,  
ipso non genuisse filios? Alii volunt, ipsos septimo à creatio-  
ne suâ die lapsos, ut ita mors Christi & lapsus Adami in unum  
incidant diem. *B. Lutherus in Gen. c. 1 p. 29. b.* existimat in Sabba-  
tho hoc accidisse & inde L. C. extruit, quod Diabolus Sabba-  
tho Ecclesiæ maximè sit in sensus. Sed addit, hoc ex Mose non  
posse demonstrari, sed probabiliter ita disputari: ideo se quoq;  
in medio relinquere, & ut quisq; suo sensu abundet, permittere.  
Hinc alii probabilem huic sententiæ opponunt rationem, à  
quiete Dei & sanctificatione Sabbathi, unde non sit probabile  
Diabolo concessum hujus diei sanctitatem tam horrendo lap-  
su deformare. *Bibliander in Chronico* allegat R. Moysen,  
Ben Mjaimon, Irenæum, Chrysostomum, Theodoretum, Theo-  
phylactum, Cedrenum, Augustinum, Bernhardum, qui sense-  
runt, Adamum sub vesperam ejus diei, quâ conditus fuit, lap-  
sum esse. Unde profectum illud vulgatum: *ἡ ἡμέρα ἐπ' ἑλᾶσθη  
καὶ ἐξ ἑλᾶσθη* Quo die fuit constitutus, eodem & destitutus. Alii  
volunt eos vix 6. horis in Paradiso fuisse. Unde Judæi eò au-  
daciæ progrediuntur, ut singularum horarum diei sexti ratio-  
nem afferant, & quid qualibet horâ actum sit, exactè ad un-  
guem edisserere non dubitent.

35. Nos in re incerta tacentibus Scripturis assensum sus-  
pendimus. Hæc tamen certa sunt. 1. Diabolum ante defecis-  
se, quàm hominem seduceret. 2. Per breve fuisse tempus à crea-  
tione

zione usq; ad lapsum : Hoc enim videtur probare 1. connexio  
historiæ apud Moysen. 2. Diaboli malitia : maleficus enim  
ille non potest feriari, & recentem hospitem decipere facilius  
ipsi fuit. 3. non absurdè huc quoque applicari possent verba  
Christi Johan. 3, 44. Diabolus mendax fuit ab initio, ubi ad  
hoc potissimum ipsius homicidium & mendacia digitum in-  
tendi certum est. 4. Si diutius in Paradiso vixissent, procul du-  
bio, mandato divino; *Crescite & multiplicamini* Genes. 1, 28.  
morem gerentes filios genuissent, qui peccato originali infecti  
non fuissent.

36. Utilior & majoris momenti est **Quæstio II.**  
**Qualis fuerit serpens, qui Evam seduxit?**

Non autem hic quæritur de specie serpentis (quam quidam  
satis scrupulosè, sed inutiliter inquirere laborant, dum alii  
basiliscum, quidam viperam, *Perer.* verò scitalen fuisse con-  
jectant) sed, an Serpens naturalis fuerit, an verò sub ejus in-  
volucro genius quidam latuerit? 1. autem hic se offert sen-  
tentia seu potius furor veterum hæreticorum Ophitarum, qui  
(horrendum dictu) colubrum illum ipsum Christum fuisse,  
asserere non dubitarunt, ideoque vivo cuidam serpenti panem  
Eucharisticum prius lambendum exhibuerunt. Ad pallian-  
dum hunc suum furorem abusi sunt typo Serpentis anei, in  
deserto à Mose erecti Numer. 21, 9. & dicto Christi Johan. 3,  
14. ex quo eum serpentem & vulnerantem & sanantem dixe-  
runt. Hoc caput erroris eorum nescio an quis alius veterum  
notarit præter *Augustin. l. 1. de hæres. ad Quodvultdeum bar. 17.*  
cùm plures ipsis tribuant, quod serpentem ipsi Christo prætu-  
lerint, eique ut scientiæ boni & mali, & bonorū aliorum auto-  
ri divinos honores exhibuerint, quæ de re vid. *Baron. ad Ann.*  
*Christi 145, f. 12.* & plur. Rever. Excellentiss. ac Clar. *Dn. D.*  
*Cramerum*, Theologum de Ecclesia Christi præclarè meritum,  
mihi parentis instar venerandum in *arbore Consang. bar. class.*  
*1. c. 12 p. 91.* Cent. Magdeb. eorum, quod sciam, non memi-  
nerunt. Sed qualiscunq; illorum sententia fuerit, ulteriori re-  
putatione indigna, suâ occumbit absurditate.

37. II. Sententiâ fuit *Philonis Judæi in libr. περι κροσμονοϊτας*, qui in Allegoriam totum hoc caput convertens, per serpentem voluptatem intellexit. Verba ejus lectu non indigna recitat *Gesner. in Gen. c. 3. quæst. 1. p. 93.* ubi etiam Origenem, Allegoriis aliâs quoque præter modum deditum, hanc sententiam secutum esse ostendit. III. De nudo serpente naturali intelligunt Judæi plerique, quorum sententiam strenuè defendit *Aben Esra in Peruscb super Gen. 3.* Ab horum sententia non planè alienus fuit *Calvinus*, aliâs quoque Judaizans, dum in h. l. scribit: *Fateor ex hoc uno loco (Gen. 3.) non posse colligi aliud, quàm homines à serpente fuisse deceptos.* IV. Cabalistræ Ebraeorum simpliciter Satanam intelligunt, quem שַׁטָּן ab ariolando dictum volunt. Unde observant, utriusque nominis שַׁטָּן & שֵׁשׁן literas eundem numerum efficere, id quod verum est, dempra tamen unitate. His directè se opponit *Aben Esra l. d.* Ab horum sententia non longè recedit *Cyrill. 1. 3. contra Julian.* dum existimat dæmonem hic non physicum serpentem, sed tantùm ejus speciem seu formam induisse, sicut Angeli dum assumserunt corpora humana. V. Communis Orthodoxorum sententia est, Serpentem Diabolo obsessum, eoque ipsum pro instrumento usum fuisse.

38. Horum vestigia legentes, duas ponimus Conclusiones. I. Serpens fuit verè naturalis. Hæc Conclusio est contra 2. & 4. opinionem, & probatur 1. ex voce: Moses Emphaticè vocat שַׁטָּן cum præposito articulo, ut indicaret certum illum serpentem, qui notus erat. 2. quia *v. 1.* confertur cum bestiis agri. 3. Dominus ipse *v. 14.* serpentem naturalem alloquitur, eique poenam imponit, quod maledictus esse inter omnia animantia & bestias terræ, super pectus ingredi, & terram comedere debeat, quæ literaliter Diabolo non conveniunt.

39. Concl. II. Serpens non fuit merè naturalis, sed à Diabolo obsessus, quod est contra tertiam sententiam: & probatur 1. ex loquela. Utitur enim hic serpens articulado sermone. λόγος autem προφορικὸς τὸ ἐν διαθεῖν λόγος πρόβλημα ἐστίν. Intellexerunt hoc ipsi Judæi: Unde *R. Aben Esra* adducit *R. Saadia Haggæon*, sic loquentem: *Quandoquidem explorâ-*

*tum est nobis, quod non sit sermo scientiæ, nisi in homine solo, cogi-  
 mur dicere, quod serpens, sicut & asina (Bileami) non locuti sunt,  
 sed Angelus quispiam locutus est per eos. 2. Serpens naturalis per  
 se erat bona Dei creatura Gen. 1. v. ult. hic verò est in Deum  
 blasphemus. 3. poena ex parte ad Satanam pertinet, cui à femi-  
 ne mulieris inimicitia & contritio capitis expectanda pradi-  
 tur v. 15. & 16. 4. ut serpentis caput conteratur, promittitur  
 Messias v. 15. quâ promissione non fuisset opus, si cum mero  
 naturali serpente nobis res esset. 5. Ex hac causa Diabolo no-  
 men serpentis sæpè Scriptura tribuit Luc. 10, 19. Apoc. 12, 7.  
 c. 20, 2. & peccatum venenum aspidum Psal. 14, 4. Rom. 3, 13.  
 mancipiâ Satanæ progenies viperarum Matth. 3, 7. c. 23, 33. ap-  
 pellantur. 6. Ipsa Scriptura alibi omnium malorum principiû  
 Satanæ ascribit Johan. 8, 44. 1. Johan. 3, 8. Sap. 2, 23. Latius  
 hæc explicant *Gesn. l. d. & Dn. D. Gerb. tom. 2. Lec. de pecc. Orig.  
 § 8. & seqq.* Quod autem quidam certo Dæmoni, utpote Lu-  
 cifero ascribunt, satis incertum est.*

40. Sed hinc exurgit quæstio III. Cur serpente  
 potissimum Diabolus usus sit? Instrumento uti  
 voluit, quia non interius potuit aggredi, hominis naturâ inte-  
 grâ, nec exterius per phantasmata propter prudentiam homi-  
 nis satis tutum. Cur verò serpentem potissimum elegerit, causa  
 exponitur in ipso textu, quia videlicet erat astutior, non qui-  
 dem rationis participatione, sed temperamenti dispositione.  
 Cui alij alias tres causas addunt, 1. quod corporis tenuitate  
 & simplicitate innocentiam quandam præ se tulerit, 2. quod  
 facilius in hortum intrare, & Adamum latere potuerit. 3. quia  
 Heva hoc familiariter sit usa. Sed hæc sunt satis leves. Frivo-  
 lum autem est, quod *Bellarm. l. 3. de st. pecc. c. 3.* disputat, fa-  
 cilius Hevam per ovem aut columbam potuisse decipi, quod  
 desumit ex *Lomb. l. 2. sent. dist. 21. p. 181.* qui putat hoc con-  
 silio divino factum, ne fraus ejus esset occulta. *Utr, inquit,  
 in propria formâ non veniret, voluntate suâ propriâ factum est,  
 ut autem in forma suâ malitia congruente, divinitus factum est. Ve-  
 nit ergo ad hominem in serpente, qui fortè, si permitteretur, in co-  
 lumba specie venire maluisset.* Sed unde quæro ipsis hoc con-  
 stat?

stat? Vide de hac quaestione etiam differentem *August. super Gen. l. 11. c. 27.*

41. Sequitur hinc quaestio IV. An serpens sono externo, & quidem articulado, an verò per suggestionem cum Eva sit locutus? Julianus Apostata Christianis hoc opposuit, & Moysen inde mendacii arguit, quod serpentem loquentem introduceret, teste *Cyrrill. l. 2. in Julian.* Quæ argumentatio contra eos, qui non nisi merum serpentem hic agnoscunt, valuisse. *Joseph. l. 1. Antiq. Judæic. c. 3.* Serpentem voce humanâ, quæ ipsi postea poenæ loco ablata sit, usum docet, quod *קטנורא* ad omnia animalia extendit. Mirum autem, absurdam hanc fabulam doctissimo *Schindlero* imponere potuisse, qui errorem errore cumulans, etiam pedes serpenti fabricat, in *Lexic. pentagl. p. 1107. Merc.* quoq; in *c. 3. Gen.* ab ea non est alienus. Alii per sibilum, quem Eva intellexerit, locutum putant, ut refert *Aben Esra.* Cujus sententiæ etiam videtur esse *August. l. qu. V. & N. T. qu. 31. In qua,* inquit, *putas lingua serpens locutus est ad mulierem? Serpentis utiq; ore. Si enim hodie non desunt, qui latratus canum intelligunt, & luporum ululatum, & berritum elephantorum, & cantum gallorum; quare non magis rudis adhuc mulier scire & intelligere potuit sibilum serpentis? nam & constat Diabolum ejus lingua uti, cujus corpus intraverit, nec aliter falleret mulierem.* Sed nos his omissis Diabolum sermone efficto articulado & humano per serpentem Evam allocutum esse, nihilominus tamen iotus animum venenatis quoque spiculis vulnerasse, & per verba, veluti per escam, virus suum ipsi immisisse asserimus.

42. Sed hinc fluit quaestio V. Quomodo Eva has tam manifestas insidias ignorare potuerit? Resp. *Lomb. l. 2. sent. dist. 21. l. f. p. 181. cum nosset creatum esse, ipsum etiam officium loquendi à Deo accepisse putavit.* Et licet hoc videatur perfectæ sapientiæ in statu integritatis repugnare, tamen non est absurdum, mulierem gradu viro inferiorem, in naturalibus aliquid latuisse, quod viri institutione & experientiâ discendum fuisset, quod latius explicat *Gesn. in c. 3. Gen. g. 2. p. 68.*

Nec

Nec tamen improbabilis est eorum sententia, qui putant ipsam probe aovisse, serpentem naturaliter loqui non posse, ideoque mox suspicatum esse, illud altiori vi, sc. divinâ, angelicâ vel Diabolicâ fieri: nihilominus tamen re inusitatâ & denique verbis fallacibus permotam, ut sibi (ut putabat) bene volenti, & consulenti crederet.

43. Hactenus vidimus quaestiones, quæ ad *per se* lapsus in textu enarrata pertinent, sequuntur ea, quæ ad ipsum actum peccati declarandum moveri solent. Ubi merito à causa ordimur. Non autem hic agemus de causa peccati in genere, sed potissimum de causa hujus lapsus in specie, quamvis sint quaestiones subordinatæ & cognatæ. Quæritur ergo, VI. An Deus aliquo modo fuerit hujus lapsus causa? Antiquissima est hæc quaestio, semper enim Diabolus habuit sua organa, per quæ peccati, & præcipuè hujus lapsus causam in Deum rejicerat. In ipso Paradiso Adam non obscure conqueritur, Deum dedisse ansam transgressionis, dum inquit: *Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi.* Sed posterioribus temporibus manifestius idem Satan egit, ut pulcherrimè promus condus ille antiquitatis & apex Theologorum *Dn. D. Chemnitius p. 1. Ltor. L. de causa peccati c. 2. p. 350. & seqq.* ostendit. Nostro quoq; & superiori seculo *Calviniani* pleriq; in eundem impingunt scopulum, Protestantes quidem sæ. illimè, gravissimam hac in parte sibi fieri injuriam, ut præcipuè in scriptis *Heidelberg. adversus Wurtemberg.* videre est. Sed protestatio est contraria facto. Docent enim eorum Theologi 1. Deum lapsum Adami voluisse & ordinasse. 2. prævidisse tali prævisione, quæ conjuncta sit cum voluntate & decreto divino. 3. ipsum causam & occasionem lapsui præbuisse. 4. Adamum ad lapsum incitasse, ac efficaciter impulsisse, quæ omnia ipsorum verbis probat *Examen Wurteb. c. 1. p. 28. & seqq.* & *Dn. D. Himmelius, Præceptor, Fautor, ac Promotor mihi filialiter honorandus in Colleg. Anti. Calv. disp. 4. th. 39. & seqq.* Ex quibus omnino sequitur, Deum causam esse hujus lapsus. Quid quod ex absoluto decreto, quod etiamnum acerrimè defendunt, indissolubiliter idem sequatur? ut alibi ostenditur.

44. Nituntur quidem hic *R. Lutheni* & nostratum consensum emendicare, & præcipuè *Heidelb. im kurgen Anhang p. 157.* ex nostratum hypothefibus suam de lapsu Adami doctrinã deducere, & confirmare nituntur, sed irritò conatu, fortiter u. à *contin. Exam. Wurteb. p. 116. & seqq.* repelluntur. Nos hîc tantũ ordinem (secundum nostrum concipiendi modum,) decretorũ divinorum quoad lapsum Adami, quem ipsi fingunt, proponemus, positã è regione sententiã nostratum, ut sic pateat  
*quid distent ara lupinis.*

### Ordo decretorum divinorum.

Secundum Calvinianos.

Secundum Nostrates.

I. Decrevit Deus decreto omnes causas ordine precedente, manifestare justitiæ & misericordiæ suæ gloriam.

I. Deus ut summè bonus decrevit bonitatem suam in tempore communicare.

II. Decrevit ergo creare hominem, in quo eam ostenderet.

II Igitur immensã bonitate decrevit hominem ad imaginem suam in justitiã & sanctitate, creare, & perfectis viribus, quò stare, & in bono persistere posset, donare.

III. Quia locum non habet misericordia, nisi ubi miseria: nec justitiã, ubi nulla culpa: idcirco ut finem suum assequeretur, voluit & decrevit, ut homo laboratur in peccatum, quod esset medium, per quod finem primò propositum assequeretur.

III. Quia tamen ab æterno prævidit, hominem liberã voluntate suã abusurum, ideò hunc lapsum quidem permittere, sed tamen.

IV. Quò autem homo posset labi, ipsum condere labilem, ipsi præscribere legem, instigare Diabolum, deserere quoad bonum, & instigare ad malum decrevit. Hinc quia decrevit, etiã prævidit hominem lapsurum.

IV. Pro immensã suã misericordiã ipsi remedium per Filium parare decrevit, in quem credentes salvarentur.

V. Hominem sic lapsum decrevit in gratiam recipere, & cum eo quosdam ad vitam æternam, alios ad damnationem, merã & liberã voluntate eligere. Unde resuleret finis sibi primò propositus, videlicet manifestatio misericordiæ & justitiæ. Latiùs hæc deducta invenies apud *Calv. in inst. c. 13. Bez. in Coll. Mompelg. & Renech. in aurea catena.*

Hæc latiùs apud nostrates deducta invenies, & ex seqq. clariùs patebunt.



45. *Ostenfuri autem, Deum nullo modo hujus lapsus cau-*  
*lam esse posse, ex remotione omnium modorum, quibus pec-*  
*cati causa ipsi tribui possit, ad conclusionem veram negativam*  
*progredimur. Sunt autem hi modi duorum generum: Alii*  
*sunt, quibus Deus nequaquam ad hunc lapsum concurrit; alii*  
*verò tales, quibus quidem ad eum concurrit, sed ex quo con-*  
*curfu ne minima quidem in ipsum redundet culpa. Prioris ge-*  
*neris modos Calviniani tres effingunt. 1. decretoriam volun-*  
*tatem. 2. Diaboli ad seducendum provocationem. 3. homi-*  
*nis ad peccandum impulsionem.*

46. Sed nullo horum modorum Deus ad hunc lapsum  
concurrit: I. non concurrit absolute discernendo,  
quod probatur 1. quia non est Deus volens iniquitatem Psal.  
55. Hic autem lapsus erat iniquitas, & quidem summa. 2. quia  
interdixit Gen. 2, 17. odio persecutus fuit, punivit Gen. 3. Nihil  
autem eorum interdicit, odit Sap. 11. v. 25. aut punit, quæ vult.  
Alias enim aut hypocrisis ipsi tribuenda, & simulatio, quod ab-  
sit; aut duæ in eo agnoscendæ voluntates contrariæ, altera quâ  
voluisset & decrevisset peccatum, altera quâ prohibuisset. 3. quia  
Adamus sic non peccasset, voluntati divinæ morem gerendo;  
& tamen peccasset à lege divinâ discedendo; *ἀνομιὰ* enim est  
peccatum 1. Joh. 5, 4. Scriptura testatur Deum voluisse, ut  
homo persisteret in illa integritate, propterea enim eum creavit  
in illâ iustitiâ & sanctitate. Creavit eum *ἀφ' ἀφραγία* ad incor-  
ruptibilitatem Sap. 2, 27. qualem autem condidit, talem perpe-  
tuò esse voluit. Sed Calvin. dicunt, Deum voluisse ut laberetur,  
& sic noluisse, ut in integritate perstaret. Aut igitur Calvinia-  
ni contradicunt Scripturæ, aut in Deo iterum sunt duæ contra-  
dictoriæ voluntates constituendæ. Quod posterius licet sit  
absurdissimum, tamen inde sequi non invitus largitur *Piscat. in*  
*resp. ad Apol. Bern. p. 51.*

47. II. Non concurrit hic Deus Diabolum ad se-  
ducendum provocando, quia 1. sic Diabolus sedu-  
cendo non peccasset, quia divinam provocationem secutus es-  
set: nec 2. Deus iuste illud in Diabolo punivisset, quod fecisse  
Gen. 3, 15. legitur. Tandem etiam non concurrit hominis ad  
D pec-

peccandum impulsione, quia ex hoc eadem sequerentur absurda, quæ ex præcedentibus sequi ostensum, & insuper homo libero spoliaretur arbitrio, qui enim superiore principio efficaciter impellente aliquid agit, liberâ & plenâ voluntate fecisse dici vix potest.

48. Quamvis autem his modis Deus ad lapsum non concurrat, tamen omnis ejus concursus omnino negandus non est. Concurrere enim hic dicitur tum positivè, tum privativè. Positivè 1. præsciendo. 2. naturam sustentando. 3. naturam labilem creando. 4. legem promulgando. 5. permittendo. 6. ad bonum finem determinando. Privativè. 7. deserendo. His ferè modis Deum hic concurrere, uti apud omnes (Photinianos, qui præscientiam malorum Deo denegant, excipio) hodiè in confesso est, ita & nos asserimus, sed vel minimam hac ratione causalitatem, quoad actum hujus peccati formale Deo hic tribui *disagendum* negamus, & ordine probamus.

49. Et 1. quidem de præscientia agemus. Ex hac non leve peti posse argumentum quidam Calviniani putant, quod proponemus verbis Hieronymi dial. 3. adv. Pelag: *Quærit, inquit, hoc Marcion (vides ex qua pharetra prodierit adversariorum argumentatio, & quo gaudeant antambulone) & omnium hæreticorum canes, qui V. lacerant T. & hujusmodi texere syllogismum consueverunt: Aut scivit Deus hominem in Paradiso positum pravaturum esse mandatum illius, aut nescivit. Si scivit, non est in culpa, qui præscientiam Dei vitare non potuit, sed ille, qui talem condidit, ut Dei scientiam non posset evitare. Si nescivit, cui præscientiam tollis, auferes & divinitatem.*

50. Sed respondemus 1. Præscientia non est rerum præscitarum causa, sed res præscitæ sunt potius causa talis præscientiæ. Non enim propterea res fiunt, quia Deus ita præscivit; sed idè ille præscivit, quia tales futuræ erant. Non idè, respondet Hieron: l. 4. *peccavit Adam, quia Deus hoc futurum noverat; sed præscivit Deus quasi Deus, quod ille erat propria voluntate facturus.* Sicut enim Astronomus infallibiliter ex causis certis prævidet futuram Ecclipsin, non tamen Ecclipsios causa dicenda est: Ita & Deus, licet omnes actiones prævideat, non tamen hæc præscientia illas causari dici potest. 2. Præscientia Dei cum non differat

ferat in se ( sed tantum ratione objectorum futurorum & præteritorum ) ab ipsa ejus scientia, non progreditur ad extra, & per consequens non potest veræ causæ efficientis rationem obtinere. Sed quæstio illa, an præscientia Dei rebus præcitis necessitatem afferat, ad alium locum pertinet. Vide de ea *August. l. 5. de C. D. c. 9. Lud. Vivem l. 1. de verit. Christ. relig. p. 43. Thomam p. 1. qu. 14. art. 13. Dn. D. Gerhard. in L. de Provid. th. 32. & seqq. Dn. D. Hurt. Loc. 6. de necess. & conting. p. 256. & seqq.*

51. Quod DEUS II. naturam sustentavit, & sic etiam actionem ipsam coëffecit, non constituit ipsū lapsus peccati autorem. Natura enim in se, ut & ipsa actio quæ talis, vel in quantum est motus physicus, bona est. *Αγαθία* autem ipsi adhærens vitiosa. Hæc autem non Deo, sed homini ascribenda. Privatio enim formæ efficiendæ à duabus causis, solum afficitur illi causæ, per quam constat, quò minus producatur illa forma. Jam verò peccatum est talis privatio alicujus perfectionis, quæ à Deo & homine producenda erat: causa autem per quam stat, quò minus producatur, solum homini ascribitur.

52. III. Nec idèò, quòd hominem labilem creavit, Deo imputari potest, voluit enim ut liberè, non *ἀναγκασ* sibi obsequium præstaret, & idèò sic crearet, ut posset tentanti sufficienter suis viribus resistere. Qua de re elegantissimas Patrum sententias profert *Gesn. in h. l. qu. 4.*

53. IV. Multò minùs huic transgressioni ansâ præbuit, IV. legem promulgando, quæ non in lapidem offendiculi, sed in obædientiæ exercitium data erat. Nec poterat aliter homo Deo copulari, nisi illi subjugaretur obædientiæ jugo. Ubi enim nullum commissum, ibi & nulla comparet fides, portò sine fide Deo placere est impossibile, quæ observatio egregia est. *D. D. Gerb. in præl. Isag. Loc. l. 9. de pecc. in proæm. §. 2.* Quò accedit, quòd hæc lex facilima erat observatu; in tanta enim fructuum copia facilè erat ab unico illo abstinere: quod eò magis urget, si ipsum perfectis ad obædiendum viribus instructum fuisse consideres.

54. Nec V. in permissione divina quicquam est

vitiū. Permissio enim hæc, licet non sit impotentia, tamen nullo modo injusta est. 1. quia permissio non est actio, sed actionis remissio. 2. quia Deus ex officio ad inhibendum non est obligatus. Nemini enim quicquam debet Rom. ii. v. 34. 2. Tim. 2, 20. & ideo non egit quod non debuit, nec intermisit, quod debuit. 3. quia Adam ipse propriis viribus, quibus à lapsu sibi cavere posset, armatus fuit. 4. Severissime prohibuerat. 5. nec justa permissionis causa destitutus fuit, in qua tamen assignanda non omnes conveniunt.

55. August. l. 11. de Gen. ad lit. c. 4. *Primaria, inquit, causa hujus permissionis soli Deo nota est, quæ occulta est, injusta esse nequit. Altitudinem consilij ejus penetrare non possum, & legem supra vires meas esse confiteor.* Non tamen est improbanda illa causa, quam idem Augustin. super Gen. l. 11. c. 9 assignat. *Sic, inquit, eos fecit, ut relinqueret eis undè aliquid facerent, & si culpabiliter aliquid facerent, illum inde laudabiliter operantem invenirent.* Quò pertinet illa vulgata regula August. de C. D. l. 3. c. 30. *Deus administrat omnia quæ creavit, ita ut ipsa proprios motus suos agere sinat.* Plura de permissione habet Tertull. l. 2. adv. Marc. c. 5. & seqq. Aug. Enchir. ad Laur. c. 9.

56. Nec VI. determinatio ad bonum finem ex qua concursus cooperans ipsi actui vitioso quâ tali conclusioni non potest. Nec ullo modo Deus lapsu Adami ad suam justiciam & misericordiam ostendendam indiguit, quod Calviniani fingunt, cum 1. sit *utraq; ipsa* suis contenta bonis, nihil indiga nostri, canit ille de bonitate divina. 2. ediderat jamdudum specimen misericordiæ in creatione mundi, justitiæ in punito Satana, nec 3. absolute opus erat reali omnium idiomatum divinorum manifestatione. 4. Imò hunc finem non fuisset affecutus; non justitiæ, quia *justitia non est, si puniendum reum non invenisse, sed fecisse dicatur*, quod dictum Fulg. ascribitur; nec misericordiæ, quia *malevola est benevolentia, si quis miserum aliquem esse velit, ut ejus misereatur*, quod dictum est Aug. l. 3. Confess. c. 2.

57. Tandem VII. Desertio, id est, specialis gratiæ negatio causa esse non potest, cum deserere & efficienter operari se non ponant, sed mutuò tollant. Nec omni gratiâ hominem destituit, licet specialem, ad cujus erogationem non obligabatur, non concesserit. Plura de hac questione vide apud

Dn. D. Gerb. tom. 2. L. de pecc. orig. th. 12 & seqq. & Dn. D. Himmelium  
l. d. ut & apud Gesner. in c. 3. Gen. item Dn. D. Meisner. in anthrop. dec. 1.  
diss. 4. quæst. 2. & Fr. Junium Calvinianum in lib. de causa prim. pecc.  
qui hac in parte a suis sociis discedit, eorumq; sententiam tali-  
bus ornat flosculis: Causam mali sui in Deum tacitâ perfidiâ indi-  
gnissimè deonerant in præf. tom. 1. oper. p. 1435. Plures hic fermè pa-  
tronos invenit Adami perfidiâ in Deum, quam Dei in Adamum miseri-  
cordia, usq; adeo luxuriantur (proh nefas) humane mentes in suam per-  
niciem. ib. Qui hujus facti culpam aliquâ saltè ex parte deonerare  
cupiunt in permissione Dei, non solùm impie faciunt, verùm etiam natu-  
ralem oppugnant rationis lucem. q. 2. c. 2. p. 1459. Sicut hæ voces in-  
grate menti & blasphemæ animi. q. 2. c. 4. p. 1465. Horret animus, quo-  
ties cogito venire homines eo furoris & dementiæ, ut sibi tantam cogni-  
tionem de operibus Dei judiciumq; arrogant. q. 4. c. 1. p. 1468.

58. Hinc exurgit QVÆSTIO VII. **Quænam igitur**  
**fuerit causa hujus lapsus?** Initio autem si *anæctiar*  
Philosophicam hic spectemus, non tam efficiens, quàm defi-  
ciens peccati causa inquirenda est. Cujus defectionis princi-  
pium ut ostendatur, notetur, quòd in actione illa Adami tria  
concurrant principia. 1. universale Deus, qui naturam, ut &  
voluntatem liberam indidit & conservat, & generali influen-  
tiâ ad actionem concurrat. 2. commune, natura, à qua sunt  
actiones naturales v. g. se movere, manum extendere & c. 3. sin-  
gulare, voluntas, unde actiones moraliter bonæ vel malæ, Cau-  
sa autem non in universali, ut ostensum, nec in communi, quod  
solùm naturales procreat actiones, easq; integra (ut erat in-  
protoplastis) integras, sed in singulari quærenda est, quæ est  
ipsa voluntas. Hæc igitur causa fuit assensus vitiosi, non tamen  
quæ talis, (eatenus enim bona) sed quæ vitiosa, sed quatenus  
spontè à lege deflectebat. Hic ejus abusus est quidem à vo-  
luntate, non tamen per se, sed per accidens. Bonum enim  
potest esse causa mali, sed per accidens, quatenus deficit.

59. Hoc principium liberè agens aberravit, & Adamum in  
lapsum impulit, & quidem à seipso motum. Nam principium  
est, omne autem principium movetur à se. Prius tamen mo-  
tum est ab externo quodam principio, quod potest esse princi-  
pium ortus, licet non actus. Hoc principium fuit *Damon*,  
quod

qui est pater mendacii Joh. 8, 44. qui ideò principatum mortis tenere dicitur Ebr. 2, 4. Ab hoc voluntas fuit mota, non tanquam ab efficiente (efficiens enim per se fuit voluntas ultro, & electione sua ei consentiens) sed tanquam à consulente. Qui nihil non egit, ut protoplastorum voluntatem liberè agentem in voluntatis suæ consensum perduceret, quod effecit persuadendo ratione mendaci, non coactione, non autoritate, non imperio ullo. Hic igitur 1. persuasit, unde 2. corrumpebatur intellectus, qui malum bonum judicabat, & sic voluntati proponebat; quæ illud, quod intellectus ut bonum proponebat, elegit, & appetitum excitavit, qui locomotivam movit. Unde sequebatur actus externus & consummatus.

60. Ex dictis etiam faciliè potest intelligi, quid sit resp. ad Quæst. VIII. An Adam necessariò peccaverit? Non peccavit necessariò necessitate consequentis, seu absolutæ, seu causæ, quæ oritur ex necessaria causæ cum effectu coherensione, qualis hic non fuit, sed causa liberè & contingenter egit: sed tamen necessariò peccavit necessitate consequentiæ, seu ex hypothesi, seu effectus. 1. si referas ad præscientiam divinam, cui res suâ naturâ contingentes, necessariae sunt, quia prævidet eas in suis causis, quæ non mutantur, licet suâ naturâ mutari potuissent. 2. postquam peccavit, etiam potest dici necessariò peccasse metalepticè pro infallibiliter, quia ex contingente potentia exiit in actum. Omnis autem propositio vera de rebus præteritis est necessaria. Hæc est necessitas prædicationis. Peccavit igitur necessariò non à priori, sed à posteriori.

61. Cùm in ipso actu lapsus plures actiones concurrerint, quænam ex his prima fuerit, dubitatur. Unde quæritur IX. Quodnam fuerit primum peccatum, seu primus motus vitiosus in hoc lapsu? Hic discrepantes occurrunt sententiæ. 1. enim aliqui volunt fuisse regulam in anticipato esu pomi tanquam non perpetuò vitici. 2. alii intemperantiam in anticipato usu conjugii: 3. alii *ατακτοι* affectu erga conjugem: 4. alii *πολυπραγμοσύνην* in colloquio Evæ cum serpente, vel etiam ex eo, quod scientiam appetierit, quod est

est curiositatis. 5. Alii superbiam, quod magnificeri, & sicut Deus haberi voluit; 6. alii deniq; incredulitatem seu dubitationem de verbo Dei.

62. Prioribus opinionibus, cum parum probabilitatis habeant, omissis, duæ postremæ adhuc hodiè acriter defenduntur. Priorem enim ex his *Thomas 2. 2. q. 163. & Bellarmin. l. 3. de amiss. grat. & stat. pecc. c. 4. Petrus l. 9. in Gen. disp. de pecc. Eva qu. 1.* & alii Jesuitæ strenuè defendunt. Posterior verò est *B. Lutheri in comment. c. 3. Gen. p. 33.* & Orthodoxorum communis. Notetur autem hic 1. quæstionem non esse de fide, sed circa fidem; 2. licet isti motus vitiosi tempore fortè simul fuerint, tamen ratione ordinis aliquem primum fuisse.

63. His præsuppositis sic progredimur: Internus ille motus consideratur vel ratione intentionis; & sic forsan concedi posset, superbiam fuisse primum peccatum. Respexit enim homo ad statum præsentem quem, fastidivit: & celsiorem, quem appetiit: vel ratione executionis, de qua hic potissimum quæstio est; & sic est incredulitas seu dubitatio de verbo Dei, seu, ut alii appellitant, infidelitas, quæ partim minis Dei fidem derogavit, partim stultâ credulitate mendacio Satanæ cessit. Quod probamus 1. lex tentatione. Nam primò Diabolus Evam sollicitat de dubitatione *Gen. 3. 1.* postea ex ejus responso audaciôr factus, negat ipsum Dei verbum *v. 4.* & tùm demum sollicitat ad superbiam *v. 5.* 2. Ex aliorum locorum collatione *Eccl. 10. 14.* Initium superbio est apostatare à Deo. ἀποστασία autem est ἀπίστια vel certè ejus pars. Apostolus Paulus *II. Tim. 2. 14.* τὴν ἀπίστην ponit principium peccati, cujus objectum est τὸ ἡγεμονικόν. Superbia autem est in τῷ ἐπιθυμητικῷ. 3. ex contrariorum ratione: Sicut enim omnis conversionis initium & radix est fides. *Ebr. 11. 6.* ita radix omnis aversionis incredulitas. Salus incepit à fide *Mariæ Luc. 1. 38. & 45.* Ergo pravariatio ab infidelitate *Evæ. 4.* ex fidei qualitate. Quamdiu enim homo verbo credit, & fiduciam erga Deum retinet, non potest adversus eum superbire. Obedientia enim erga verbum & contumax superbia se mutuò tollunt. Vide de hac quæstione plura apud *Dn D. Gerb. l. d. §. 28. & seqq. Dn. D. Meissn. in Anthropol. S. dec. 1. disp. 4. quæst. 3.*

64. Quæritur hic etiam: Qualis fructus ille, quem decerpando peccavit Adam? In Ebr. est vocab. *Ḥay* quod generaliter quemcunq; fructum significat. Unde ex hoc vocabulo colligi non potest, qualis fructus, qualisvè arbor fuerit. Quidam volunt fuisse malum Perficum, quod jam quoq; in Oriente, ubi Adam peccavit, lethale est. Alii putant fuisse malum Cotoneum: alii pomum aureum, alii cerasum, alii vitem, alii pyrum vulgare. Opinio de pomo antiqua est, sed nullaratio eam sequendam suadet. Indicam ficum, quia fici foliis se tegunt, fuisse plures opinantur, & *Joan. Temporarius* etiam ex v. 8. ubi se dicuntur sub arbore abscondisse, hoc colligit, cum ea arbor sit talis, ut commodè sub eâ quisquam latere possit. Sed huic respondet *Drusus c. 12. annot. ad loc. diff. Gen. p. 22. singularem sub arbore ibidem positum esse pro plurali, pro sub arboribus, ut Exod. 10, 15.* Quid quod non sit credibile, eos illi arbori, per quam in tantum malum inciderant, diu adhæsisse, cum Deum vindicem mox affore timerent: & nam illius foliis, ve uti spoliis, quæ ipso aspectu eos commissi criminis reos facerent, amicti in Dei conspectum prodire non fuissent veriti? *R. Tanthuma* dicit, tacitum fuisse illius nomen, ne si homines conspicerent, contemnerent bonam Dei creaturam, dicendo: Hæc est arbor, per quam nostri parentes peccarunt. Sed quicquid sit, res est incerta, cum multas arbores in Paradiso fuisse, quibus jam orbis terrarum caret, credibile sit.

65. Jam de subjecto peccante quædam dubia enodanda sequuntur. Quæritur ergò XI. An Adam propriè sit seductus? Apostolus 1. Tim. 2. v. 12. inquit: *Adam non fuit seductus, sed mulier seducta obnoxia facta est pravaricationi.* Hinc proposita orta est quæstio, cujus negativâ defendit *Bell. l. 3. de amiss. gr. & st. pecc. c. 7.* Sed licet ille à Diabolo non fuerit persuasus, nec Eva animum seducendi habuerit; tamen quia illi quoque, qui suis cogitationibus seipsos seducunt, seductorû nomen merentur 1. Joh. 1, 8. Jer. 14, 14. idè ipsum quoq; seductum statuimus.

66. Dictum autem Apostoli diversimodè explicatur. 1. *M. sent. l. 2. diff. 22 d. p. 184.* huc trahit vocem prior ex v. 13. 2. alii explicant de seductione à serpente irrationali, quæ sententia *Chrysost.*



*Chrysoft. hom. 9. in 1. Tim. p. 1565.* 3. alii ad Scripturæ silentium, hoc referunt. 4. alii de Diabolicâ seductione, 5. alii de seductione per externum colloquium intelligunt. 6. alii ordinem seductionis spectant. Sicut enim mulier ultima in compositione, ita prima fuit in resolutione. *Meisa. l. d. qu. 1. eb. 7. p. 109. ub.* 7. convenientissimum textui videtur, si respicias *in prævaricationem*, quod notare jubet *Ambrosius l. de Paradiso c. 4. tom. 4. op. f. 96.* Scopus enim Apostoli est, mulierem non debere docere, sed virum; quia illa, non hic ita fuit seducta, ut suâ persuasione alteri fuerit causa prævaricationis. Periculosum enim ab ea sperare sanam doctrinam, quæ transgressionis prima viri causa fuit. *Non doceat amplius mulier, quia semel illa docuit, & cuncta pervertit*, scribit *Chrysoft. l. d.* Non tamen hanc explanationem ita amplectimur, ut reliquas rejiciamus; optimè enim conjungi possunt.

67. Huc quoque pertinet Quæstio XII. An lapsus Protoplastorum etiam ad nos & omnes eorum posteros pertineat? Negarunt hoc olim Pelagiani, qui docuerunt nos non culpâ Adami peccatores nasci, sed imitatione fieri. Horum vestigiis insistant Photiniani. *Socin. l. de st. prim. hom. c. 10. p. 287. Fateor posse quodammodo (ecce dubitantis & tremantis conscientia: indicium) dici periisse universum genus humanum cum Adamo, cum Adamus propter peccatum perit. Sed certè tamen non perit, cum verè nondum esset, quare nec ulla injuria ei fieri potuit.* Nos hîc respondemus cum *August. l. 6. cont. Julian. c. 4. Alienum fuit (peccatum) proprietate actionis, & nostrum est contagione propagationis.* Omnes enim in primo parente peccavimus.

68. Opponimus autem Photinianis 1. genuinam hujus loci sedem. Ex qua patet, prohibitionem arboris cum comminatione adjunctâ ad omnes posteros Adami pertinuisse. Ad quos enim pertinuit executio comminationis & pœnæ, ad illos etiam pertinet peccatum. Jam verò ad omnes pertinet executio comminationis & pœnæ. Omnes enim vi illius comminationis: Morte morieris, revertuntur in pulverem, omnes e-

Hi sunt ex Paradiso, omnes viri laborum molestiam, omnes mulieres parientes partus dolores experientur. Et ad omnes pertinet peccatum. 2. poenae rationem. Quod enim non propter aliam causam, sed vi hujus transgressionis omnes moriantur, patet ex Rom. 6, 23. Mors est stipendium peccati Rom. 5, 12. c. 15, 17. 3. aliorum locorum collationem. Clarissimus est locus Rom. 5, 12. Per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, & I T A in omnes homines mors pertransiit, I N Q V O omnes homines peccaverunt & v. 19. PER inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.

69. Sollicitè hîc quaerunt XIII. Scholastici; Quid futurum fuisset, si Eva sola peccasset; an tunc etiam peccatum in posteros fuisset propagatum? Sed cum sciamus hoc factum non esse, frustranea indaginis, & temerariae decisionis est quaestio, quâ quaeritur, an Deus vel illam mulierem reparaturus, vel aliam Adamo conjugem creaturus fuisset. Si tamen ex hypothesi (quæ admodum dubia.) quod Adam integer ex Eva peccatrice liberos genuisset, quaeratur, an tunc illi liberi etiâ peccato originali fuissent infecti, aliquid respondendum est. *August. l. 12. de Trinit. c. 12.* negare videtur: *In duobus, inquit, primis hominibus personam suam quibus portabat, & ideo si sola mulier cibum edisset prohiberetur, sola utique mortis supplicio plecteretur.* Consentit *Thomas p. 1. quaest. 81. art. 5.* Alii distinguunt, & volunt moriendi necessitatem, morbos &c. non verò ipsum peccatum propagandum fuisse, Sed quia principium materiale peccato infectum fuisset, procul dubio etiam semen peccati in foetum fuisset derivatum.

70. Hactenus de lapsu absolutè considerato egimus. Jam etiam quaedam de eo in comparatione dicenda sunt. Quæritur ergo XIV. Utrum Adam vel Eva gravius peccavit? Respondemus cum *August. l. 11. de Gen. ad lit. c. 25.* Peccarunt primi parentes impari quidem sexu, sed pari factu. Non tamen omninò rejicimus illud, quod *Thom. 2. 2. quaest. 162. art. 4.*

art. 4. quandam differentiam ratione circumstantiarum constituit. Quantum ad genus peccati utrumque est equale. Sed vir gravius peccavit ratione persona, quæ dignior, majoribusq; resistendi viribus instructa erat: ratione peccati Evæ peccatum est gravius, quia ipsa non solum prima peccavit, sed etiam virum in peccati passam induxit, quo sensu 1. Tim. 2, 13 peccatum Evæ exaggeratur. Serio verò improbamus verba Lombardi. 2. sent. dist. 22. p. 184 ubi scribit: Adam non putavit esse verum, quod Diabolus suggererat, in eo tamen fuisse seductum credi potest, quod commissum veniale putaverit, quod peremptorium erat &c. Plus videtur peccasse mulier, quæ voluit usurpare divinitatis equalitatem, & nimia presumptione elata crediderit ita esse futurum. Adam verò nec illud credidit, & de penitentiâ & Dei misericordiâ cogitavit, dum uxori morem gerit, nolens eam contrisari &c.

71. Non inutiliter etiam queritur XV. An peccatum primorum parentum sit omnium gravissimum? Negant quidam Scholastici, & cum illis Bell. l. 3. de st. pecc. c. 10. S. 10. absolute esse gravissimum, sed tantum ex circumstantiis quibusdam. Concedimus quidem & nos posse dari peccata, quoad unam vel alteram conditionem & circumstantiam graviora: Non verò absolute. Hic enim omnia quæ peccatum aggravant, & ex quibus peccata aestimari solent, inveniuntur gravissima. 1. Ratione objecti, Læsit Deum, à quo maxima acceperat beneficia: Proximum, dum omnes posteros suos ad æternum exitium deducebat, quo sensu extensive gravissimum fuisse concedit Bonav. l. 2. dist. 21. art. ult. quest. ult. f. 320. Se ipsum, privans se vita, naturæ & gratiæ. 2. ratione Legis, quæ erat facilissima, & tamen simul amplissima; eam enim transgrediendo totam Legem violavit, ut ostendit Gesn. in cap. 3. Gen. quest. 10. p. 181. & alii. 3. ex voluntate. Nam fuit maxime voluntarium. Existimare oportet, quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas August. l. 1. de C. D. c. 15.

72. Tandem de consequentibus lapsus hic queritur XVI.

An per peccatum Adami etiam amissa sit imago Dei? Conspirant hic contra nos Pontificii & Photiniani negativam in hac quaestione defendentes. Ita enim Bell. l. 5. de amiss. gra. c. 3. peccatum quidem originis substantiam imaginis de medio tollere non potuit, sustulit tamen perfectionem illam & eximiam similitudinē, qua in habitu & actu cognitionis & amoris posita erat. Itaq; imago non perit, sed obscurata & deformata est, quasi coloribus extinctis, & ideo reformari dicitur, cum gratia & sapientia reparantur in nobis. quomodo imago picta renovari dici posset, si colores ferme extincti eidem imagini iterum adderetur. Et l. 4. de Eccl. c. 9. Origenem, qui dixit, Adamum perdidisse imaginem Dei, ad quam creatus erat, & ipsi consentientes hæreseos arguit. Origenis sententia aliquo modo dubia est, si enim per imaginem ipsas essentielles animæ potentias intellexit, easq; amissas dixit, jure ipsi hæreseos dica scribitur: sed tum cōmune cum eo habemus nihil: quod tamen, ostendere ibidem laborat Cardinalis. Si verò qualitates animæ videl. justitiam ac sanctitatem per imaginem Origenes intellexit, easq; amissas dixit, tum quidem cum ipso consentimus, sed injustè à Bell. condemnatur. Photiniani quoq; amissionem nullam agnoscunt. Socin. l. 1. de st. pr. hom. p. 7. Etiam postquam homo morti est obnoxius, eam imaginem retinere dicitur. Smalz. cont. D. Frantz. p. 54. Instaurationi (imaginis Dei) nullus est locus, ubi destructio nulla fuit.

73. Sed posito imaginem Dei in notitia, justitia, & sanctitate, ut & in dominio brutorum consistere (quæ hypothesis alibi probatur) clarum est eam esse amissam. 1. Ex Scripturæ assertionem. Afferit enim illud tum conjunctim 1. Cor. 15, 49. discretè pronuncians nos non gestare imaginem Dei, & celestis Adami, sed terrestres. tum separatim per partes. Docet enim amissam esse Dei notitiam; quia intellectus tenebris obscuratus Eph. 4, 18. 1. Cor. 2, 14. justitiam & sanctitatem Eccl. 7, 71. 2. Ex imaginis Dei renovatione. Si enim non esset amissa, quid opus esset renovatione tali, quæ sit quadam quasi μεταμόρφωσις, quæ tamen urgetur Coloss. 3, 10. Induite novum ho-

vum hominem, qui **RENOVATUR** in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus, qui creavit illum. Eph. 4, 24. quod argumentum Photinianos maximè constringit. 3. Ipsi Photiniani concedunt amissum esse dominium in bestias, in quo tamen ipsi imaginis formale (licet falsò) constituunt. De hac quæst. vide plura apud *Dn. D. Gerh. in L. de imag. Dei §. 129. & seqq.* & *Dn. D. Nicol. Hunn. in Exam. error. Photin. de st. pecc. c. 1. §. 2. err. 3.* Plures quæstiones sic coacervari possent, quæ cum ad alios locos pertineant, vel textum nostrum non attingant, illarum tractatione supersedemus; ne tamen earum explicatio desideretur, ad calcem subjiciemus. Sequitur ergo

## MEMBRUM IV.

### Ufus.

74. *Ufus est vel Theoreticus vel Practicus. Theoreticus est tum Confirmatorius, tum Confutatorius. Confirmatur enim hic 1. Diabolum esse mendacii patrem v. 1. & seqq. imò sunt Diaboli Spiritus nocendi cupidissimi, à justitia penitus alieni, superbià tumidi, invidentià lividi, fallacià callidi.* Aug. 8. de C. D. c. 20.

75. 2. *Hominem in integritate à Deo creatum libera voluntate defecisse, & imaginem divinam amisisse, cui cum peccare difficile non fuerit, non fuit necessarium ut laboretur antequam lapsus est.* Aug. de corrupt. & grat. c. 12.

76. 3. *Pœnis homines reduci ad sanitatem. Culpa enim oculos claudit, pœna aperit.* Greg. M.

77. *Confutantur I. Judæi illi & Judaizantes, qui Diabolum ab hac seductione removent; contra quos rectè observatur Aphorismus: ὄργανον ἦν ὁ ὄφις τῆς τῆς ἀληθείας ἐχθρῆς.* Theodor. quæst. in Gen. 32.

78. II. *Pontificii, qui 1. primum Adami peccatum superbi- am constituunt, cum tamen nisi fidem primam amisisset, ceteris bonis omnibus non careret: credendo enim Diabolo non credidit Deo.* Prosp. in Resp. ad cap. Gen. dub. 3. 2. *Adamum propriè esse seductum negant.* 3. *Hoc peccatum extenuant, cum tamen tam leve præceptum ad observandum, tam breve ad memoriã re-*

tinendum & tanto majore injustitiâ sic violatum quanto faciliore  
potuisset observantiâ custodiri Aug. l. 14. de C. D. c. 12. 4. Imagi-  
nem Dei amissam negant, cum tamen homo postquam celestis  
opificis imaginem amiserit, terreni similitudinem assumeret Basil.  
Psal. 48.

79. III. Calviniani, qui in Deum hujus mali culpam aliquo  
modo referre satagunt: sed sicut peccatum in Deo non est, ita  
peccatum ex eo non est: quod autem ex eo non est, opus ejus utiq;  
non est. Fagel. l. 1. ad Monimum.

80. IV. Photiniani, qui negant 1. hunc lapsum ad nos per-  
tinere, cum tamen omnes fuerimus in illo uno, quando omnes ille  
unus corruptus. August. l. 13. de C. D. c. 14. 2. per eum imaginem  
Dei amissam, cum tamen imaginem in spiritu mentis impressam  
perdiderit Adam per peccatum, quam recipimus per gratiam justi-  
tie. August. de Gen. ad lit. c. 27.

81. Ufus Practicus est vel Adhortatorius, vel Consolatorius.  
Moneatur enim hic 1. ut vigilemus, ne seducamur. Lapsus enim  
hic posteris est exercitationis adminiculum, & timoris exemplum  
Beda super Genes. 2. primis Diaboli suggestionibus resi-  
stamus. Qui suggestiones Diaboli non recipit, in ejus insidias  
minime transit. Nam facile in consequenti opere refellitur, si prima  
ejus oblectamenta respuantur. Diabolus est serpens lubricus, cujus  
sic capiti & primæ suggestioni non resistitur, totus in interna cor-  
dis, dum non sentitur, illabatur. Isid. l. 3. sentent.

82. 3. Conversationem & colloquia prava fugienda. Nam  
mores bonos corrumpunt colloquia prava 1. Cor. 15. 33. Et quemad-  
modum in pestilentibus locis sensim attractus aer latentem corpo-  
ribus morbum injicit: sic item in prava conversatione maxima no-  
bis mala hauriuntur, etiamsi incommodum statim non sentiatur.  
Basil. in Orat. ὅτι ἐκ ἐπιαιτίων τῶν κακῶν ὁ Θεός.

83. 4. Verbo Dei nihil addendum, vel demendum. Pura  
enim & simplex mandati forma servanda, vel testimonii series inti-  
manda est. Plurimumq; testis dum aliquid ad seriem gestorum ex suo  
adjicit, totam testimonii fidem partis mendacio decolorat. Isid.

84. 5. Ubi divinis oraculis quædam ἀντιφάτικῶς oppo-  
nuntur, à Diabolo profecta memineris.

85. 6. Ne desideremus nimis altum sapere כַּמְכַסֵּי

תקראו מן ה' תהיו עבדי.

86. 7. Oculis nostris imperemus. Rectè enim Ebraei: הִרְאָת הַחַלְלָה הַעֲבֹרָה שֶׁהָעֵין רְעָה וְהַיָּד בְּחֶמְדָּה וְכֹלֵי הַמַּעֲשֵׂה גֹמְרִין: *Visus principium est transgressionis: Oculus enim videt, & cor concupiscit, & instrumenta operis (membra) perficiunt.* Et תְּרִין סִסְוֵי דַחְטָנָא וְלִבָּא וְעֵינָא oculi & cor proxenetæ peccati. R. D. Kimchi in comm. super Psalm. 101, 5.

87. 8. Diaboli promissis fidem non habemus. *Princeps enim hujus mundi etiam nunc promissis multos decipit, rebusq; transitoriis quasi necessariis illicite: aliquando ipsa inferni supplicia quasi levia & non diuturna suggerit, quatenus miserorum corda in cupiditatem, lasciviamq; dissolvat, secumq; ad tartara ducat.* Ifid. l. 3. sent. c. 3.

88. 9. Peccatorum natura est, ut alios in eandem nassam tōhant. *Amicabili enim quādam benevolentia plerumq; fit, ut offendatur Deus, ne offendatur amicus.* Lomb. l. 2. dist. 22. p. 184.

89. 10. Ne peccata nostra occultare satagamus. *Hypocritarum enim hoc proprium, pretextum suis peccatis querere ficulneum. Adeò frivolum remedium more Protoplastorum cauteriatis conscientis texere τῆς ψυχῆς τὸ κρυπτικὸν ad velamentum, non ad medicamentum.* Bernh.

90. Consolatorius est unicus: Non posse videlicet malevolum Dæmonem vi nos in peccatum impellere. *Fortem enim Diabolum facit nostra negligentia, non illius potentia.* Chrysoft. in cap. 12. Matth:

*Ne uberior hujus materia explicatio desideretur, subjicimus aliqua consecraria Antiphotinia  
hanc materiam illustrantia.*

I. Animalia etiam peccare somnium est *Socin. lib. de Nat. pr. hom. 6. p. 157. 158.*

II. Imaginem Dei in primo homine sanctitatem & justitiam fuisse, sine causa negant Photiniani. *Smalz. cont. D. Franz. disp. 2. p. 51.*

III. Primum hominem ante lapsum mortalem fuisse negamus contra *Socin. de stat. pr. hom. p. 57.*

IV. Unde mortem peccati pœnam esse cum Apostolo statuimus contra eundem.

אלחמרה ללרי

